

223

221

227

217

232

212

272

172

322

122

Ende

Anfang

208

cum vellem vocare, deberem dicere Galelacassa. Illum enim asinarium, quem quis in portu Joppen acquirit, per totam terram sanctam habebit, et nullius alterius asinum accipiet: et quando est recedendum de aliquo loco, oportet peregrinum currere in asinorum gregem, et clamosa voce suum asinarium vocare, eumque quaerere. Igitur cum in illa secunda peregrinatione a loco, ubi stabant praefecti, descendissem, optabam invenire asinarium meum priorem, et antequam in asinorum gregem venirem, clamavi vocans asinarium meum Galelacassa: hoc audientes alii asinarii nullus me traxit ad suos asinos, videntes me habere notum asinarium. Me sic clamante dominus asinarii mei Galela, quem non novi, in equo sedens, Sarracenus realis et nobilis, ad me equitavit, et cum baculo, quem manu tenebat, tetigit me leniter, dans mihi signum ut tacerem, secumque starem in quiete. Est enim valde inquietus cursus et recursus peregrinorum et asiniorum, et omnes festinant, ut provideantur. Cum autem sic starem et omnes alii current et ducerentur ad asinos, anxiari coepi, ne forte Sarracenus ille me negligere vellet, et nisus fui ab eo recedere; quod ut vidi, loquebatur mihi chaldaice aliqua, quae non intellexi: hoc tamen dicebat, sicut postea conjicere potui: Sta hic tecum, ego sum Galela, et servus meus Cassa statim ad me veniet, qui tibi providebit de bestia. Tandem Cassa venit ad Galelam dominum suum: statim autem, ut me vidi, agnovit me, et ego eum, et ruit more Sarracenorum in osculum meum, et laetissimo vultu me suscepit, plurimum gaudens et admirans de reditu meo, et multa cum risu loquebatur mihi, quae ego non intellexi. Duxeram autem de Ulma mecum duas strepas ferreas, quas sibi propinavi, quas cum multa gratulatione suscepit: duxit ergo me in gregem ad asinos suos, et optimam bestiam mihi assignavit. Et mirabantur Domini et nobiles de tanta Sarraceni ad me amicitia, cum frequenter peregrini multas molestias patiantur a suis asinariis, percussiones et dejectiones de asinis et furta: a quibus omnibus fui liber: et sicut in priori peregrinatione, ita et in illa fidelissime mihi servivit, et in omnibus, in quibus eum invocavi, obtemperavit, ac si fuisse princeps. Saepe asinos meos mutavit, ut mihi magis placentem retinerem, in ascensu

lxxv